

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0290

0288

0294

0284

0299

0279

0339

0239

0389

0189

0789

278

in campo inter armatos spiritum reddidit. Porro anno Domini **MCXLII.** accidit res toti Christianitati valde damnosa. Nam cum dominus Fulco, rex Jerusalem, ad Ptolemaidem sive Achonensem urbem moram traheret ac extra urbem causa solatii perrexisset, casu accidit, ut lepusculus canibus exci-
tatus fugeret, quem fugientem clamor universi exercitus inse-
quitur, rex autem equo insidens et inconsulte festinans accu-
rit, sed equus in praecipitem agitur corruensque in terram
regem dedit praecipitem, adeo, ut sella caput regis totaliter
conquassaretur, ita ut cerebrum tam per nares quam per
aures emitteret; igitur cum universorum gemitu ad civitatem
relatus triduo sine sensu adhuc palpitans vitam protraxit,
quarta vero die spiritum exhalavit. Ejus corpus duxerunt in
Jerusalem et in loco calvariae sepeliverunt, ubi priores reges
Latinorum sepulti fuerant, ubi et eorum monumenta hodie pa-
tent et marmore polita fulgent.

Quintus rex Jerusalem.

(B) Defuncto Fulcone quarto rege Jerusalem successit ei
filius in regno, nomine Balduinus, hujus nominis tertius rex
et ordine quintus, qui fuit adolescens optimae indolis, omnes
pueriles vitiosos devitans mores, et sanctum regnum optime
gubernabat. Postquam autem factus est vir, fuit corpore pro-
cerus tantaque formae praeibat eminentia, ut ignavis etiam
eximia quadam in eo refulgente dignitate certum de se et de
regia majestate daret indicium. Affabilis erat et misericors
multum, alieni minime cupidus, nec subjectorum more prodigi
opulentiis insidiabatur, litteraturae mediocris erat et historias
antiquorum regum et bellorum libenter legebat, et in dubiis
bellis valde providus erat. Coepit autem regnare anno Domini
MCXLII. et annis **XXIV** regnavit in Jerusalem.

Sub hoc rege Turci, Aegyptii et Sarraceni ac Arabes
contra fideles insurrexerunt, inter quos Saguinus, vir scelera-
tus, Turcorum potentissimus, Edessam, quae olim dicebatur
Rages Medorum, latinis populis refertam obsedit et cepit
et mira crudelitate omnes peremit. Rex autem Balduinus
adunato exercitu eripere Edessam properat, sed repulsus

Ende

Anfang